





34:

7/

1787 3

ORDINIS IVRIDICI

IN

ACADEMIA WITTEMBERGENSI

H. T.

DECANVS

D. GOTTLLOB CHRISTIANVS  
K L V E G E L

FACULTATIS IVRIDICAE ASSESSOR ORDINARIUS


ET SENATUS CIVITATIS WITTEMBERGENSIS

SYNDICVS

LECTORI BENEVOLO

S A L V T E M

ORDINIS IARIDICI  
IN  
ACADEMIA MALLEMBERGENSI  
H. H.  
DECVNIA  
D. GOTTLORI CHRISTIANVS  
KLAGEBL  
LVCIVTATIS IARIDICAE ASSessor ORDINARIA  
ET SEMINARIVS CIVILITATIS MALLEMBERGENSIS  
SYNDICAS  
LECTORI BENEVOLO  
SATTEW



**Q**uae apud veteres Romanos annalis erat, in rebus mobili-  
bus usucatio, eam Justinianus, pleraque corrigens iuris  
capita, *L. vn. C. de usuc. transform.* in tres extendit annos.  
Neque est, quod imperatorem huius causa reprehendamus, qui  
perispice rationem huius mutationis, eamque satis iustam et  
probabilem, in illa lege adiecit: *minuitur usucaptionum compen-  
diosa dominis iactura et eius iura nocentia.* Attamen, ac si metue-  
ret, omnem vim vocis antiquam tollere, noluit hoc ius nouum,  
quo longius, atque erat olim, tempus ad adquirendum rei a non  
domino acceptae dominium profertur, nominare usucaptionem,  
sed: *si quis, scripsit, rem alienam mobilem per triennium detinuerit, is  
firmo iure eam possidet, quasi per usucaptionem eam acquiritam.* Sed  
hunc metum postea deposituit, Institutionibus, *pr. de usucap. in-  
feri passus haec: cautum est, ut res mobiles per triennium usucapiantur.*



Quantumuis aequa videatur haec amittendi dominii periculi dilatio, ea nostris tamen non placuit I Ctis, neque, quod in complexu suo receptum dicitur ius Romanum, in ea admissum est re, in qua, nec immerito, mores potius patrii vicerunt legem peregrinam. Ita iure Germanico, saltim Saxonico, dominio mobilium rerum anno, vt vocatur, Saxonico, scilicet 407. vel, cum dies intercalatur, 408 dierum, (iure Electorali Saxonico autem 410 vel 411, de qua differentia conferenda *glossa ad Spec. Sax. L. I. art. 38. et Carpz. in iurispr. for. P. II. Confl. III. Def. V. n. 2.*) praescribitur ex communi Doctorum sententia. Recte quidem Heiniccius in *ELEM. IURIS GERM. L. II. P. I. §. 108* scribit, vulgo hoc tradi, meque facile assentientem habet, cum factetur, se in iure Saxonico, scilicet intelligit, quas Repkouius nobis scriptio sua conseruauit, consuetudines, id non reperisse, nec putare, textum *L. I. art. 28. Spec. Sax. de praeescriptione hereditatis vacantis agentem, ad mobilia in vniuersum pertinere.* Nam in hoc articulo definite auctor scripsit, si quis mortuus sit, qui reliquerit eas res, de quibus antea egerat, hereditatem, geradam, heergewettam, neque tamen aliquis, qui in his rebus se ait successorem, adsit, (erhelos erſtbt, sunt verba Speculatoris Saxonis) tradendas eas esse, 30 diebus a morte praeterlapsis, (puto ab eo, in cuius domo mortuus erat is, de cuius rebus relicta queritur,) iudici postulanti, qui, si per annum et diem custodierit eas, nemine existente, qui interea ius succedendi aliquod probauerit, sibi eas habere et in suos usus conuertere possit. Itaque perpicuum est, ea omnia tantum de rebus, quae mortui erant, scripta esse, quae post annum Saxonicum vindicari a iudice nequeunt, non autem aliam quamcunque vindicationem mobilium post id temporis spatium per hanc, quam Repkouius tradidit, Saxonum consuetudinem excludi. Ut eunque sit, antiquissimorum tamen Saxonorum Doctorum, qui interpretes, nonnunquam corruptores, egerunt speculi Repko-

Repkouiani, et recentiorum inueterata est opinio, iure Saxonico omnes res mobiles vsu anno Saxonico capi. Etenim iam Ludou. Fachsius, quem Zobelius saepius in scriptis suis praecep-  
 ptorem nominat, in different. iur. ciu. et Sax. diff. XI. notat: *se-  
 cunda species usucaptionis iuris Saxonici res mobiles respicit, quas omnes  
 spatio unius anni et dierum aliquot praescribi posse, veteres (intelligen-  
 di igitur sunt ICti Saxonici Seculi XV.) indistincte censuerunt et pro-  
 nuntiarunt, per text. L. R. L. I. a. 28.* Est etiam inter sententias  
 Scabinorum Lipsiensium, quas collegerat Zobelius, et ex huius  
 bibliotheca edidit cum eiusdem differentiis anno 1598. Ante-  
 cessor Lipsiensis, Franc. Romanus, tricesima septima, quae hoc  
 possit referri, quae, etiam si de hereditate, quae in solis consi-  
 stit mobilibus, tantum agat, tamen extendentem aliquam articuli laudati prodit interpretationem. Et quamvis ipse Fach-  
 sius confiteatur, locum speculi excitatum eam veterum opinio-  
 nem non probare, ea tamen deinde pro lege habita est eo magis,  
 cum Fachianae differentiae, additis ICtorum Lipsiensium et  
 Wittenbergensium, eas recognoscant, laciiniis, in aula Elec-  
 torali Saxonica approbatae fuerint. Sed possunt etiam ICti  
 Saxones excusari de hac interpretatione. Ac primo quidem in  
 fine articuli laudati 28 leguntur, dictum id est de rebus mobili-  
 bus, (diz is geredet von varenden habe) ex quibus verbis facile  
 argumentari poterant, ea, quae scripta erant de iure magistratus  
 in bona mobilia vacanta, intelligenda esse de cuiuscunque pri-  
 uati etiam iure in rebus mobilibus non vacantibus. Deinde,  
 quod etiam magis eos debet defendere, L. II. art. 44. Specula-  
 tor Saxo scriptit, iustum esse possessionem annalem, quam quis,  
 nemine in iure contradicente, per annum Saxonicum haberet:  
 (Swisch Mann gut in geweren hat jar und tac ane rechte wieder-  
 sprache, der hat daran eine rechte gewere) et alibi L. III. art. 83.  
 cauere debere eum, qui res alteri tradidit, de possessione quieta  
 per annum Saxonicum. (Swer ein Gut lihet oder lehet einen  
 andern,



andern, der sal iz in geweren jar und tac.) Hos autem locos speuli coniunxit Glossator in *glossa ad cit. art. 44.* cuius verba haec sunt: zum andermahl, komt dich das Gut an von fremden Leuten, haben sie das getreulichen erkrieget, so verwerest du das bey jar und tage in unserem Rechte als hie et li. III. ar. 83. (hic Benno de Heyniz et Lossius in margine addiderunt: *vide sup. L. I. art. 28.* Zobelius autem ita, aut interpolando aut restituendo antiquam manuscriptorum lectionem, typis exprimi curavit: als hie steht, und dies ist allermeist zu verstehen von farender Habe, ut *sup. lib. I. art. 28. vbi id, quod de iudice dicitur, etiam ad priuatos exten-*ditur, et Weichb. in *textu et glossa art. 30.*) nach leges verwerest du bewegliche Dinge bey dreyen jaren. Et ex his ultimis verbis praecepue manifestum est, voluisse ICtos Saxones, discrepare in mobilium praescriptione ius Saxonum a Romano in vniuersum, quae tandem opinio pro ea agnita fuit, quae nullo subiaceret dubio. vid. Carpzou. in *iurispr. for. P. II. Conf. III. def. III. n. 7.*

Romani igitur ex iure recentiori vnu res mobiles per tres annos possessas capiebant, non reliquias. Neque ad incorporalia, quae vocare solemus, pertinet ista vscucipio. Extinguens in primis praescritio, si excipias actiones praetoriarum, tam breue non patitur tempus, quippe quae XXX vel XX annos desiderat, rarius quinquennio absolvitur. Verumtamen in causis quibusdam tres etiam sufficiunt anni, ut expiret postulandi ius. Omitto ex *I. un. C. de sentent. adu. fisci.* posse sententiam contra fiscum latam intra tres annos retractari. Hoc enim fisci priuilegium ad praescriptionis materiam non puto referri posse, nisi velis tempora appellationum aut probationum etiam inter praescriptiones ponere. Pariter de lite dicere contra eum, qui per triennium in ea continuanda contumax est, decidenda, quod iussit Iustinianus *I. 13. C. de iudicis.* eandem ob causam non attinet, et id quidem eo minus, quo certius est, eam legem ad non receperas

ptae pertinere, Leyser in medit. ad Pand. sp. DCXXXIV. med. 5. et  
 in hac re iuris Canonici, c. 20. X. de iudic. eam longe aliter de-  
 finientis, potiores esse partes, ut videoas apud Menken. in Pand.  
 Lib. XLIV. tit. III. th. 8. quin actionem institutam non expira-  
 re, nisi per XL annos omissa sit. Lauterb. Coll. Pand. eod. tit.  
 th. 9. Sed ut pergam ad ea, quae inter praescriptiones collo-  
 canda sunt, per l. 2. C. de repud. sponsus omne ius in sponsam  
 amittit per triennum ab ea expectatus, quod hodie difficulter  
 applicari potest. Quod deinde constituit Antoninus in l. 1. C. de  
 fideicommiss. vt, qui per tres annos ex voluntate eius, cuius est her-  
 res, alimenta soluit, de inutilitate fideicommissi amplius nequeat  
 excipere, eo nunc quidem opus esse non videtur, postquam Iu-  
 stinianus in l. fin. eodem cuicunque legato vel fideicommisso vim  
 tribuit, dummodo iureiurando, de eo relicto, delato, is, a quo  
 praefatio petitur, iurare nolit. Porro ex Iustiniani lege expi-  
 rat vindicatio serui, coloni, vel adscriptitii, qui per tres annos,  
 vitae se dediturus monasticae, fuit in monasterio. Nou. CXXIII.  
 c. 35. Sed ipsum etiam dominium perit vtile, et reddit ad direc-  
 tum dominum, in emphyteusi, canone per triennium non so-  
 luto, quod l. 2. C. de iure emphyteut. constituit Iustinianus, et hodie  
 quoque, si adeo tardus in soluendo sit emphyteuta, locum habet.  
 In Saxonia in primis hoc ius Iustinianeum verbis expressis com-  
 probatum est, Conf. El. Sax. 38. P. II. cum hoc tamen tem-  
 peramento, ut, sine praevia sententia, emphyteuta non possit vtili  
 suo priuari dominio. Tandem secundum Martiani constitutio-  
 nem, quae est l. 3. C. de epochis publ. hi, qui tributa exigunt,  
 suo cadunt postulandi iure, si negligentiores, priorum annorum  
 solutionem non curantes, exegerint trium contingenium anno-  
 rum tributa, nisi manifestae in contrariam assertionem supersint  
 probationes. Scilicet, cum probatio aliqua, scripsit is Imperator,  
 tributariae solutionis exposcit, si trium cohaerentium sibi annorum apo-  
 chas securitatesque protulerit, superiorum temporum epochas non coga-  
 tur



tur offendere, neque de praeterito ad illationem functionis tributariae coerceatur. Quae iuris Martiane pars hodie, teste Menkenio in Pand. L. XXII. tit. III. th. 2. vslu non caret, quin cum Finckelthausio ad debita priuata etiam extenditur a Leysero in med. ad Pand. spec. DXXX. med. 9.

Videmus ex his, numerum ternarium, quemadmodum in aliis iuris capitibus, ita in hac quoque praescriptionum materia, Romanis vehementer placuisse. Hoc, quamvis in extingente praescriptione tantum, prout docent exempla proposita, per exceptionem fere constitutum est, natura tamen praescriptionis non impedit, quominus in aliis etiam causis trium annorum praescriptio lege possit introduci. Principis enim est, statuere, quae reipublicae totius aut singulorum ciuium commoda augere possunt, quod non raro fiet, si de tempore aliquid deminuatur, cum in quacunque causa longius spatium aut consuetudo, aut lex antiquior permittat. Neque id solum in fauorem eorum, quibus, per breuius tempus ius aliquod extingue, conceditur, ex gratia Principis fieri potest, veluti nuperissime Russorum Catharina Alexeewna, finito imperii sui XXV. anno, inter cetera beneficia, quae ciuibus in istis tam late patentibus terris eius imperio subiectis, quo magis celebrare et laudare regimen, quod tamdiu durauerat, et in publica laetitia omnes gaudere possint, hac occasione dedit, accusationes criminales, decennio praeterito, fieri vetuit, et in carcere coniectos debitores, eodem spatio temporis finito, liberos esse iussit. Nam in hac causa, si regulam sequimur, cum nihil de aliorum iure detrahatur, integrum absque vlo est dubio ei, qui summae reipublicae praest, quem modum beneficiorum suorum esse voluerit. Sed in odium etiam negligentiae quin coarctari possiat praescriptionum tempora, dubitare non finit consideratio, quis sit extingendi iuris finis, scilicet, ut quilibet de rei sua possessione,

lessione, et de libertate agendi certior fiat, in quo, si est detrimentum eius, qui praescriptione aliquid amittit, hoc certe maiori compensatur commodo, quo tota fruitur respublica. Duplicet quidem vehementer assertio, qua praescriptio poena negligentiae dicitur, Leysero in *med. ad Pand. spec. CCCCLIV.* *med. 4. 5.* derelictionem tacitumque domini, ius suum non per sequentis, consensum substituenti. Verum, cum derelictio aut vera, aut praesumta, quarum neutra explicari potest, nisi fingamus simul, voluisse derelinquentem rem suam gratis alicui concedere, tacitusque consensus aut cum animo donandi coniunctus esse debeat, aut non, donatio tamen aliqua et vera derelictio, atque de proposito aliquem juris sui persecutionem omissee, nequeat praesumti, qui possit aliud esse fundamentum praescriptionis, quam incuriam in exigendo, non video, ut verba quidem videantur reuerentiae caula temperata, non autem notio permutata cum ea, quae vere alia sit. Nam ipse etiam Leyserus, sine honore mihi nunquam nominandus, paulo post *med. 6.* supinam incuriam nominat, qua quis per multos annos iura sua neglexit, eamque efficeret contendit, ut ne ignorantiam quidem praetendentem credatur. Saltim, si ad id attendamus, iure ciuili tempora certa rerum praescriptione amittendarum definiri, sane rem omnem credo rite atque perspicue ita exponi, ut re sua iureue suo dominus propterea priuetur, quod per definitum legibus spatium in hoc suo iure persequendo aut re repetenda fuit negligentior. Nam, ne, si ponamus quidem, nesciuisse eum, quid iura de tempore praescriptionum comprehendant, culpa caret. Etsi, ut puto, haec planissima sunt, accommodate tamen in primis tunc erunt affirmando, cum praescriptionis tempora coarctantur, ut citius, atque olim, ius suum amittat dominus.

Et in Saxonia quidem nostra in quibusdam causis, ad vitanda maiora publicae rei incommoda, ita factum est, ut, quod secundum  
 b



cundum iura communia duraret XXX. annos et annum Saxonum, ius exigendi, id enim iuris praescriptione amittendi ordinarium est tempus, Carpz. in *iurispr. for. P. II. Conf. III. def. III. num. 7.* eius dilatio ad tres annos deminueretur. Ac primo id contigit ratione usurarum, quas creditores aerarii publici (Steuer) ex chirographis publicis, sive originariis, quae Steuerscheine, sive permutatis, quae landschaftliche Obligationen appellantur, postulare possunt. Multa, eaque magna, fuisse aerario publico credita, notissimum est, quae tamen nunc bonam partem decreuisse, nemo patriae amans ciuis non toto peccore gaudet. Et creuerat eiusdem aerarii onus per bellum, in quo occupata fuit Saxonia, quod a mense Augusto anni 1756 usque ad Februarium anni 1763 gestum est, et plerumque septennale, a nonnullis tertium Sileiacum nominari solet. Attamen res, quantuscunque fuerit creditorum metus, felicem nocta est exitum. Nouus ordo et sortis et usurarum soluendarum, totius item negotii regendi, qui in ipso pacis Hubertiburgensis, 15 Febr. anni 1763 facti, instrumento, articulo separato secundo, fundamentum habet, et collegium XIV virorum, e statibus Saxoniae, cum equitum, tum urbium VII circulorum, electorum, (Steuer-Credit-Cassen-Deputation) cui cura omnis huius causae commissa est, instituebatur. Rem totam exponit latius statuum Saxoniae prouincialium publica declaratio, approbante summo Principe 10 Octobr. 1763 scripta, (Declaration sämmtlicher Stände des Churfürstenthums Sachsen, die unter höchster Approbation errichtete Steuer-Credit-Casse betreffend) Codici Augusteo continuato P. II. L. V. Cap. I. et libro: Beiträge zur neuen Staats- und Kriegsgeschichte 181stes Stück, pag. 92 inserta. Hanc antecessit, quod ad rei huius historiam apprime facit, scriptum a Collegio Illustri, quod aerario Saxoniae praest, (Ober-Steuer-Einnahme) anno 1763 in nundinis Lipsiensibus, a festo paschali nominatis, publice propositum, (Avertissement die

die Einrichtung der Steuer-Credit-Casse betreffend) in Cod. Aug. l. l. inueniendum. Accuratissima promittebatur usurarum, de his enim mihi agendum est, solutio. Cum vero multorum nummorum custodia vehementer molesta neque sine aliquo fit periculi metu, ea tamen fuisset necessaria, si creditores in descendis usuris fuerint tardiores, vt in multos forte annos solutio differatur: per illam, quam laudaui, declarationem sub num. 10 in fine constitutum est, vt iuri postulandi usuras, tribus annis finitis, a tempore quo soluenda erant, computandis, praescribatur. Hanc declarationem secutum est Mandatum Electorale 12 Noubr. 1763 datum, in quo illa his approbatur verbis: wie wir denn auch hiernächst, damit die Aufbewahrung sowohl der Zinsen, als Capitalien, so zu rechter Zeit nicht abgeholet werden, ein gewisses Ziel bekomme, vor gut befunden, daß, inhalts des 10 J. oben angezogener Declaration, die Verjährungs-Zeit bey den Zinsen auf 3 Jahr von der Verfall-Zeit an, —— fest gesetzt werde. Et hoc quidem ius ad vtrumque genus publicorum illorum chirographorum pertinet, sive permutata sint cum illis, quae ab initio, quo debita contrahebantur, data erant, sive non sint permutata.

Eodem modo causa tractata est eorum, quae ex principali fisco (Cammer) soluenda fuerant, nec tamen erant soluta ob tristia belli fata. Constitutis scilicet anno 1765. cum certa pecuniae summa, in singulos annos ad extinguenda haec debita impendenda, cui nomen Cammer-Credit-Casse esse iussit Serenissimus Princeps, tum collegio, id negotium administraturo, (Cammer-Credit-Cassen-Commission), nominatis primum VI. deinde mensie Nouembri anni 1765 X. Illustribus Commissariis, quorum priores antehac etiam ipsa credita, apud eos profitenda, cognoscabant, inde zur Liquidation ver Rückstands-Forderungen verduete Commissarii appellati, quae omnia, et quae ratio sortis



et usurarum soluendarum electa fuerit, latius edocemur ex Illustri huius Collegii editis: *Avertissement*, die Einrichtung der Cammer-Credit-Casse betreffend d. d. 29. Iulii 1765. et anderweitiges *Avertissement* das Cammer-Credit-Cassen-Wesen betreffend d. d. 4. Oct. 1765. quod vtrumque in Cod. Aug. cont. P. II. L. IV. cap. I. reperies: hoc collegium in illa declaratione 4. Oct. 1765 proposita sub num. 5 publice notum fecit, ex voluntate Serenissimi Principis, propter incommodum custodiae nimis protractae, usuris, exactis tribus annis, iri praescriptum. Verba ita fluunt: Damit die Aufbewahrung sowohl der Zinsen als der Capitalien, so zu rechter Zeit nicht abgehohlet werden, ein gewisses Ziel bekomme, haben Thro Königl. Hoheit gnädigst genehmigt, daß die Verschärfungszeit bey den Zinsen auf 3 Jahr von der Verfallzeit an, — — — fest gesetzet werde. Deinceps hoc praescriptum editio Principali, 19. Oct. 1765 promulgato, ita repetitum fuit: Gleichwie nun diese Einrichtung dermahlen von Uns gänzlich fest gesetzt, und diesfalls auf unsre fernere Verordnung ein anderweitiges ausführliches *Avertissement* zum Druck gebracht worden, als haben Wir zugleich in dessen 5. §. eine gewisse Frist, binnen welcher die zu entrichtende Capitalia und Zinsen bey dieser Cammer-Credit-Casse abgeholt werden, oder widrigerfalls derselben, als verjähret anheim fallen sollen, und zwar bey den Zinsen auf 3 Jahr von der Verfallzeit an, — — zu bestimmen vor nothig erachtet, — — Wenn denn die Nothdurft erfordert, daß dasjenige, so in mehr besagtem *Avertissement* vom 4. huj. in vim legis erwachsen soll, als wohin hauptsächlich gedachter 5. 17. und 18. §. zu rechnen, ad hunc effectum — — jeder männiglich gehörig bekannt gemacht werde, als haben wir dieserhalb gegenwärtiges Generale ins Land ergehen zu lassen, anbefohlen.

Postremum, in quo iure Electorali Saxonico trium annorum termino circumscripta est omittenda persecutionis potestas,

fas, hoc est. Multi Saxonie ciues, vasalli in primis, vel ex mera Principis gratia, vel pro iuris venandi, quo olim fruebantur, in commodum principalis venationis facta renunciatione, vel propter damna, quae ferae bestiae dederant, vel aliam ob causam, quotannis vnam vel plures etiam feras bestias telo occisas (jährlich Wildpreß-Deputat) ab his accipiunt, quos Serenissimus Princeps venationi regundae praefecit. (Ober-Först- und Wildmeißer.) Iam, quantum possint perturbari rationes de teditibus ex venatione principali reddendae, si, quibus dandae sunt illae ferae, in depositando moras necant, petitionesque in multos protractant annos, quantum etiam sit incommodum, si deinceps multi cunctantium horum creditorum ea, quae debentur, simul postulent, ex ipsa negotii natura satis erit manifestum. Contrahi igitur voluit tempora petitionum in hac causa Elector Serenissimus mandato hoc ipso anno 1787. 24 Iulii edito, iussitque depositi haec annua eo, quo tradi debent, tempore ab his, quibus concessa sunt, addita sanctione, vt, qui ita in postulando negligens fuerit, vt ne per tres annos quidem a praefecto dari sibi curauerit debitum, ei hoc, quod ultra istum annorum numerum deberetur, amplius petendi, omnis denegaretur facultas. Ne tamen iniuria hanc rem suam aliquis perdat, et vt omnis praecidatur calumniae occasio, praefecti rei venatoriae simul iussi sunt, depositentibus feras debitas tradere, aut, si contingat, vt aliquid, quo minus tradi possint, impeditat, forte, quo in regione suae curae commissa tot fera animalia non reperiantur, vt simul omnibus satisficeri et genera ferarum in iuris venationis commodum conseruari possint, vel alia etiam causa, dare rogantibus creditoribus scripturam, qua se defendere contra praescriptionis obiectionem possint, eaque accurate, cum, postulasse creditorem debitas bestias, tum, nondum eas esse traditas, descripta simul impedimenti causa, confiteri.



Sed haec quidem scripsisse sufficiat de extingüente trium  
annorum praescriptione ex iure Saxonico Electorali, vt, quae  
fuerit scribendi opportunitas, iam exponam. Rogauit scilicet  
Collegium nostrum

Vir Nobilissimus et Doctissimus

## IOANNES CAROLVS TRAVGOTT GLVECK

SCHNEEBERGENSIS

I V R . V T R . C A N D I D A T V S

vt, examinibus, quae ex more institutoque maiorum necessaria  
sunt, ex voto superatis, ad summos in iure honores eum  
admittat. His precibus Ordo locum dedit, iusisque, ultimum  
edi specimen, quo doctrinae conficiatur exploratio, publicam  
nimurum disputationem. Igitur, vt in hac quoque re officio  
non desit, suo Marte elaborauit Scriptum, quod varia juris me-  
tatem continet, idque proximo die XXVII. Septembr. praeside,  
ex Ordinis decreto dato, filio meo et collega dilectissimo, nunc  
etiam Academiae Rectore, D. ERNESTO GOTHOFREDO  
CHRISTIANO KLVEGELIO, ab aduersiorum obiectio-  
nibus defensurus est. Vitam autem, quam egit hic usque cum  
laude, ipse pro more in sequentibus enarrat:

*Ego, IOANNES CAROLVS TRAVGOTT GLÜCK, natus sum  
Schneebergae d. 25. Octobr. 1760, patre CAROLO TRAVGOTT  
GLÜCK, accisarum inspectore, et consule eiusdem ciuitatis, matre vero  
CHRISTIANA SOPHIA, filia IOANNIS CHRISTIANI BÜRGE-  
RI, mercatoris. Hanc matrem dilectissimam, proh dolor! mors praet-  
mature*

mature mihi eripuit, patrem vero adhuc viuum veneror. Optimus hic  
 parens, quod gratissima mente agnoscō, ut statim ab ineunte aetate stu-  
 diis, quae ad humanitatem pertinent, et linguarum scientia a pracepto-  
 ribus domesticis usque ad annum decimum sextum imbuerer, sedulo cu-  
 rauit. Postea scholam, quae Schneebergae floret, per quinquennium  
 frequentavi, et usus sum institutione M. ANDREAE, correctoris, qui  
 vero iam inter coelites est, et eius successoris M. HAASII atque M. REIS-  
 MANNI, Rectoris celeberrimi. Deinde anno 1781 in Academiam  
 Vitebergensem me contuli, atque ab Ill. PAVLI, qui tunc temporis Aca-  
 demiae fasces tenebat, in album ciuium academicorum sum relatus. Iam  
 adii excellentissimum HILLERVUM et SCHROECKHIVM, qui me phi-  
 losophiam et historiam docuerunt. Iurium autem scientiam mihi tradi-  
 derunt viri Magnifici et illustres PAVLI, beatus FISCHERVS, WIE-  
 SANDIVS, REINHARDTVS, KLEVEGLIVS atque HOMMELIVS.  
 Ab his Praeceptoribus sanctissime colendis ius naturale, civile, publicum,  
 canonicum, feudale, historiam iuris, et modum denique causas in foro  
 tractandi edocitus sum, atque his omnem, si qua in me est, iuris scien-  
 tiā debeo. Tandem sub praefidio Ill. HOMMELII d. 25 Jul. 1783  
 publice disputauī super Tit. I. Lib. 23 Digestor. Doctrin. Ludouici,  
 et d. 14 April. 1785 ad examen, quod pro praxi vocant, admisus  
 sum. Petii quoque nuper ab illustri ICtorum Ordine, ut mihi iura et  
 privilegia Doctoris tribueret. Annuit ille meis petitis, atque mea studia  
 in examinibus consuetis tentauit. Itaque in eo nunc sum, ut publicum  
 colloquium



colloquium ex cathedra instituam. Fauxit Deus immortalis, ut hoc negotium felicem quoque exitum sortiatur.


Nunc itaque, vt hanc solennitatem ILLVSTRISSIMVS COMES, PERILLVSTRES LIBERI BARONES, PATRES CONSCRIPTI, OMNIVMQUE ORDINVM IN HAC ACADEMIA PROFESSORES ET DOCTORES, CIVES ITEM RELIQVI GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI, sua velint concelebrare praesentia, et meo et Collegii nomine, omni, qua par est, obseruantiae et studii cultu rogo, simulque spondeo, huius benevolentiae memoriam nullam vñquam obliuionem in me esse deleturam. P. P. Domin. XVI. post Trinit. Festum a. C. n. MDCCCLXXXVII.



Wittenberg, Diss., 1786-88



f  
sl,





34.  
7  
1787 3

ORDINIS IVRIDICI  
IN  
ACADEMIA WITTEMBERGENSI  
H. T.  
DECANVS  
GOTTLOB CHRISTIANVS  
KLVEGEL  
CIVLTATIS IVRIDICAE ASSESSOR ORDINARIVS  
ET SENATVS CIVITATIS WITTEMBERGENSIS  
SYNDICVS  
ECTORI BENEVOLO  
SALVTEM